



9197.
DE
SENATVS CONSVLTO VELLEIANO

SEV
DE INTERCESSIONE MVLIERV. 1783 3

DISSSERTATIO

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRAESIDE
D. ERNST GOTTFRIED CHRISTIANO
K L V G E L

IVR. SAX. P. P. O. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSA-
TIAE INFERIORIS MARCHIONATV ET FACVLTATIS IVRI-
DICAE WITTENBERGENSIS ASSESSORE ORDIN.

PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CAPESSENDIS

DIE XVI. APRILIS A. R. S. CIOCCCLXXXIII.

H. L. Q. C.

ERVDTORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR ATQVE RESPONDENS

IOANNES SAMVEL STRAPHINVS

GORLICENSIS

IVRIS VTRIVSQVE CANDIDATVS ET NOT. PVBL. CAES.

WITTENBERGAE,
LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.

STRECKEN DER ...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...



VIRIS

EXCELLENTISSIMIS, IVRIVM CONSVLTISSIMIS

DOCTISSIMIS ATQVE AMPLISSIMIS

DOMINIS DOMINIS

CONSVLIBVS, PRAEATORI

SCABINATVS ET COLLEGII SENATORII

ASSESSORIBVS

PATRIBVS CIVITATIS GORLICENSIS

MERITISSIMIS

VIRIS

EXCERPTISSIMA LITERARUM CONSTITUTIONE

DOCTISSIMIS ARTIBUS VERTISSIMIS

DOMINIS DOMINIS

PATRONIS OMNI PIETATE

VENERANDIS.

SCABINATUS ET COLLEGE SENATORII

ASSessoribus

PATRIBUS CIVITATIS COLLEGIIS

ET ALIIS



VIRI

EXCELLENTISSIMI, IVRIVM CONSVLTISSIMI

DOCTISSIMI, AMPLISSIMI^{QVE}!

Gratiam humanitatemque VESTRAM undique locorum
celeberrimam, bene cum nouerim, hoc specimen primum
academicum, AMPLISSIMO VESTRO ORDINI, sacrum
atque dedicatum volui, quod quamuis sit exiguum, nec
Viris istis, doctrina atque fama affluentibus satis di-
gnum, ista tamen VESTRA humanitate, indulgentiaque
subnixus, nequaquam dubitavi, hoc secundum vires me-
as inueniles, quae concinniora aptioraque conscribenda
A 2 pati

*pati nolere, vos esse diiudicatu-
ros. Quod saltim, ut
signum pietatis in vos haud sit defu-
turum, cum exop-
tem, simulque vos etiam atque etiam cupiam rogatos,
PATROCINIO VESTRO impofterum ut arbitremini me
dignum. Ceterum diuinum numen suplex imploro, VE-
STRVM ORDINEM AMPLISSIMVM ut saluum atque in-
coluem, patriae et ciuitati ornamento et commodo eua-
surum, conseruet.*

NOMINVM VESTRORVM EXCELLENTIS-
SIMORVM, AMPLISSIMORVM

ADDICTISSIMVS CLIENS

IOANNES SAMVEL STRAPHINVS.



PROEMIVM.



Jura legesque omnino aequitatem respicere, ex *l. 2. C. de emt. vendit. rescindenda*, *l. 31. Admonendi π. de iureiurando*, *l. 33. diuus Hadriannus. π. de re iudicata*, aliisque bene multis, dilucide doctis probari. Quid igitur mirum, quod quoque hominum quorundam imbecillitati leges consuluerint: quorum quidem ex numero mulieres non possunt non oculis nostris obiici, quoniam illae, testante poeta:

Quid leuius fumo? flamen! quid flamine? ventus!

Quid vento? mulier! quid muliere? nihil!

captionibus vt plurimis sunt expositae, ita vt facile queant decipi, quin recte statuamus, legibus earum imbecillitati etiam esse succurrendum, qualis quidem ratio, ex mente *Vlpiani in l. 2. §. 2. π. ad Sct. Velleianum* fuit *SCTi Velleiani*, cuius verba, non parum tamen vexata a *Cuiacio*, *Hottomanno*, *Gothofredo*, *Augustino*, *Noodrio*, nobis conserua-



uit in Lib. XVI. π. Tit. ad SCt. Vellei. idem Vlpianus. Aliam tamen simul huius legis rationem cum ipsa verba SCti, tum Paulus in *l. 1. π. eod. tit.* suppeditant; exclusionem scilicet foeminarum a muneribus virilibus et ciuilibus, quae qualia sint, et quomodo potuisset fideiussio ciuile dici officium, eleganter demonstrat Schilter in *praxi iur. rom. exercit. XXVIII. §. 4.*

§. I.

Origo SCti Velleiani.

Hoc igitur SCtum Velleianum est lex, qua mulieres pro aliis intercedentes, sua fideiussione non tenentur. Ex ipsa iam legis natura videmus, ad probandum non esse difficile, ante ea tempora, quibus Senatus romani decreta ad res priuatas pertinebant, prohibitas mulieres vt intercederent, si vellent, non fuisse. Primus vero Augustus Imp. secundum ea quae narrat Vlpianus in *d. l. 2. π. ad SC. Vell.* edicto prohibuit has mulierum intercessionem, non tamen omnium, sed vxorum tantum pro maritis. Quo anno, quauē occasione, incertum, siquidem Vlpianus de ea re nihil amplius prodidit. Sed luxuria et patrimonii profusio eo tempore occupauerat Romanorum animos, quod vel ipsius Augusti lex sumptuaria, quam Gellius et Suetonius allegant, docet, vt credendum sit, maritos, quorum opes iam erant exhaustae, cum alios fideiussores inuenire non possent, nec creditores sine fideiussoris interuentu faciles, vxores, socias etiam vitii, frequentius, quam olim esset factum, vt intercederent, suis monitionibus. Augustus igitur, cum non potuerit, neque, vt nihil ex omnibus magis desiderabat, praeterquam, vt videretur popularis, voluerit varia luxus genera, Romanis minium quantum grata, palam et directo impedire, oculius in

in hoc aliisque constituendis obiuam iuit ruinae, qua oppressae interirent optimatum familiae. At enim vero, cum post tempora Augusti, vt in tam turbato reipublicae statu non poterat non accidere, eius edictum non obseruaretur, Claudius, quem circa omnium ordinum statum et circa ciuilem morem exoleta quaedam reuocasse, scribit Suetonius, nouo edicto illud, monente Vlpiano eodem loco, in usum reduxit. Cuius anni hoc Claudianum sit edictum, pariter nescitur. Putauit Schilterus, non quartum Imperatorem, qui communi suffragio Claudius nominari solet, sed secundum, Tiberium, vt ex gente Claudia ortum, intelligi ab Vlpiano, in quam sententiam non potuit non venire, cum ipsum Velleianum decretum ex Tiberii aetate esse crediderit. Id vero beneficium, quod Augustus et Claudius vxoribus tantum impertiti sunt, ad omnes foeminas translatum est per Velleii Consulis rogationem. Quando vero hoc Sctum compositum sit, magnus est inter eruditos dissensus. Heineccio *in hist. iur. Lib. I. §. 172. in Antiqu. Lib. III. tit. XXI. §. 12. et in elem. pand. Part. III. §. 196. not. **, placet annus A. V. C. 763. siue p. C. n. 10. imperante Augusto: Schiltero in *Praxi Iur. Rom. Exerc. XXVIII. §. 3.* annus A. V. C. 771. p. C. n. 18. imperante Tiberio: Schultingio *in iurisprud. anteinst. ad Vlpiani tit. XXII. not. 53.* annus A. V. C. 799. p. C. n. 46. imperante Claudio. Lauterbachius *in colleg. Pand. Lib. XVI. tit. 1. §. 2.* tempore Neronis Imp. factum hoc Sctum existimauit. Alii multo recentius id credunt, et sub Antonino conditum volunt, de qua opinione ex Romani *diff. de Sct. Vellei*, videri potest in Engelbrechti *diff. de renunc. Sct. Vell. §. 9. n. 2.* Et haec quidem opinio non videtur multos habuisse asseclas. Ex quatuor autem reliquis, Heineccii imprimis sententia, in quam Hofmannum, in prioribus editionibus Schultingium secutum, *in Hist. iur. Lib. I. cap. I. per. 5. Sect. II.*



II. §. 3. demum video iuisse, multos nacta est aduersarios. Scilicet, cum, vti Vlpian. in *l. 2. π. ad Sci. Vell.* refert, hoc SCTum Marco Silano et Velleio Tutore Coss. factum sit, et inter consules Romanos, quorum memoria ad nos venit, multi quidem Silani, nullus autem, saltem in fastis, qui eruditorum manibus terebantur, Velleius Tutor inueniretur, vnde etiam factum est, vt Schultingius et Schilterus in eo acquiescerent, vt crederent, hunc Velleium quendam suffectum fuisse, quodam ex istis anno, in quibus fasti Silanum aliquem consulem nominarent, Heineccius sibi videbatur, cum in tabulis Gruterianis *in op. inser.* p. 470. duas inscriptiones, quae haec nomina L. Silano Flam. Mart. C. Vellaeo Tutore Coss. habent, ope forsitan (quod saltem Ritterus putauit) Almelouecianorum fastorum inuenerit, omnem rem acutissime explicasse, si his consulibus tribueret SCTum, in annum 763. V. C. hoc decretum reiiceret, et a Schultingio, quem antea, vt scribit in *Antiqu. syntagm.* sequebatur, discederet. Qua opinione sibi adeo placuit Heineccius, vt eam in *pand. elem.* contra Nordnerkium strenue defenderet. Verum primo omnium, etiamsi his consulibus assignemus SCTum, nondum tamen expeditum est, eos anno 763. V. C. fuisse suffectos, siquidem hunc annum Gruterus, vel qui eius librum emendarunt et auxerunt, ex suo posuerunt arbitrio, aliis deinde describentibus. Deinde, cum in tabula Silanus Lucius, ab Vlpiano autem Marcus nominetur, dubium remanet; num iidem consules, qui in inscriptione inueniuntur, sint, quos voluit Vlpianus, et annon alioquodam anno Marcus quidem cum Velleio suffectus fuerit. Heineccius quidem ad hanc coniecturam, probandae opinionis causa, Vlpianum in praenomine errasse, quod concedi, hac tamen circumscriptione, potest, fieri quoque potuisse, vt, ab Vlpiano, vt honoris ICTi hoc demus, nomine recte expresso, is ex ICTis, quibus pande-



pandectarum compositio concredita fuit, falso descripsisset, hunc ex Ulpiano centonem, cui id datum erat negotium. Sed aegre tamen id finit locus Ulpiani, in quo totum Marci nomen, non sola littera M. scripta est, cum e contrario in tabulis littera tantum sit, etiamsi non ignoro, lapidibus et aeri in hoc genere quaestionum plus, ac scripturae, tribui. Quod autem imprimis sententiae Heineccii obiicitur, hoc est, scribere Ulpianum: *postea factum est SCTum, quo plenissime omnibus foeminis consultum est.* Cum igitur SCTum factum sit postea, scil. post edicta Augusti et Claudii, non potuit ea constitutio retrahi in tempora Augusti. Praetera cum Augusti et Claudii edictum ad solas pertinuerit vxores, SCTum autem ad omnes foeminas, non obscure videmus, quam consulto Ulpianus haec distinxerit. Etenim si ante Claudium iam omnes mulieres hoc gauisae essent beneficio, difficile est ad credendum, Claudium tantum in gratiam vxorum edixisse. Quamobrem frustra operam dedit Heineccius, vt probaret, verbum postea ICTis Romanis nonnunquam idem significare atque praeterea, neque posse huic aliisue eiusmodi vocabulis, quibus vsi sunt ICTi, tuto superstrui rationes chronologicas. Quamuis enim hoc demus, aduersante licet vehementer Rittero, *in animadu. ad Hein. hist. iur. l. c.* reliqua tamen hoc loco non permittunt hanc explicationem verbi postea. Sed nolo his diutius inhaerere; quae fuse iam ab Engelbrechtio in supra laudata Diss. exposita sunt. Arrisit etiam plerisque recentioribus ICTis, veluti Brunquello, Bachio, ill. Walchio et aliis Schultingiana sententia, tanquam melius, quam Heineccii et reliquorum, probanda. Cum tamen illa quoque suis prematur difficultatibus, siquidem non satis probatum est, Velleium tutorem quendam A. V. C. 799. suffectum fuisse consulem, etiamsi M. Iun. Silanus ordinarius hoc anno esset, non immerito alii anno incerto scriptum esse hoc SCTum, do-



cent, ex quibus solum ill. *Martini in hist. iur. cap. V. §. 15.* nominare sufficiat. Hoc de ista legis origine.

§. II.

*Differentia Scti Velleiani atque Auth. C. si qua
mulier ad Sct. Vell.*

Sctum Velleianum igitur agere de intercessione mulierum pro aliis prohibita, supra commemorauimus. Restat autem in iure Romano alia de eadem causa, et illa quidem multo recentior lex, *Authentica*, scil. *si qua mulier C. ad SC. Vell.* siue potius constitutio noua Iustiniani Imp. In eius enim nouella, quae est secundum receptum ordinem CXXXIV. et capite quidem VIII. ea inueniuntur, quae deinde vel Irnerius, siue quisquis ille fuerit, legi 22. C. ad SC. Vell. affuit. Et haec quidem, quae isti Scto superaddidit Iustinianus, Gothofredo *in not. ad d. l. 2.* occasionem dederunt, lectores admonendi, vt discerneret quatuor tempora huius iuris materiae, Augusti, Claudii, Scti Velleiani, et Auth. si qua mulier. Quo tamen modo non videtur bene distinxisse, siquidem Claudii et Augusti diuersa non sunt edita, nec per id, quod Claudius edixerat, nouum ius introductum fuit. Praeterea Iustiniani legislatio amplius circa hanc rem inclaruit, non enim authentica solum ipsius est, sed condidit alias quoque leges, quae in hanc materiam aliquam induxerunt mutationem. Attamen potiores passa est anno p. C. n. 530. quo, vt vero est simile, I. 30. C. ad SC. Vell. et anno 541. quo nouella 134. conditae sunt. Et in illa quidem inter mulierum intercessiones factas in instrumento publico, et has, quae hac carerent solemnitate, discrimen fieri iussit: haec autem imprimis ab auctoribus celebratur, quan-

quandoquidem hodie etiam vxores, cum fidem suam velint interponere, Scto Velleiano et Authenticæ si qua mulier iubentur renunciare. Quamobrem haud inepte mouetur quaestio, quo spectet Auth. C. si qua mulier et quomodo differat a Scto Velleiano. Ac Sctum quidem Vell. ad omnes pertinet mulieres quocunque modo pro aliis intercedentes, in qua re vocabulum intercedere, accipitur in sensu latiori, ita, vt explicante Cuiacio, sit alienae obligationi interuenire, et intelligatur omne id, quod fit defendendo, *l. 2. §. 5. π. ad Sct. Vell.* fideiubendo, *l. 2. §. 1. l. 25. §. 1. π. eod.* pignora dando, *l. 8. pr. et l. vlt. §. 1. π. eod.* mandando, *l. 6. et 7. π. eod.* expromittendo, *l. 8. §. 2. et 9. π. eod.* ream se ab initio faciendo, pro pecunia alii soluta, *l. 4. l. 19. C. l. 8. §. 14. l. 11. l. 12. l. 28. §. un. π. eod.* constituendo *l. 1. §. 1. π. de pec. confit.* de quibus praeter alios agit post *Struuium in synt. iur. exerc. XXI. th. 3. Heinec. in Pand. El. Part. III. §. 198.* Authentica vero C. si qua mulier spectat ad vxores pro maritis intercedentes, eaque lege vxoribus, maiora etiam, de quibus postea dicendum erit, obiiciuntur impedimenta, si sua intercessione maritos vellent adiuuatos. Cum enim Iustinianus, verus Authenticæ auctor, putaret, vxores blanditiis commotas atque inductas, perfacile eo posse perducī, vt pro maritis intercederent, necessarium duxit, vt plane quamuis vxorum pro maritis intercessionem prohiberet, exceptionibus etiam, quae in aliis locum habent foeminis, sublatis. Simile, quoad blanditiarum effectum, inuenimus exemplum, in oratione Antonini Caracallae, donationes inter virum atque vxorem vetantis, quam explicat Vlpianus in *l. 1. π. de donat. int. vir. et vxor.*



§. III.

An beneficium Scti Velleiani sit personale?

Huius vero Scti Velleiani dispositionem referendam esse ad priuilegia, omnes ICTi vno profitentur ore, ex quibus solum nomino Heineccium in *El. Pand. Part. III. §. 199.* Ast operae pretium esse existimo, vt, quale hoc sit priuilegium, reale, an personale, inuestigemus. Video enim hanc speciem in diuersam a ICTis tractari partem. Sunt, qui putant, hoc priuilegium esse personale, non desunt vero, qui arbitrantur, magis id habendum pro reali. Quam quaestionem, si nobiscum paulo penitius consideramus, facile est ad intelligendum, eorum opinionem esse reiiciendam, qui existimant, illud Sctum esse priuilegium personale. Etenim, hoc beneficium non modo ipsis foeminis, verum quoque heredibus, fideiussoribus, mandatoribus atque procuratoribus prodesse, id satis probari potest *ex l. 20. C. ad Sct. Vell. l. 8. §. 4. et l. 16. §. un. π. cod. l. 7. §. 1. π. de except. et l. 30. §. un. π. ad Sct. Vell.* Quamobrem ex his luculenter patet, hoc priuilegium esse reale, si quidem priuilegia personalia nunquam sunt transitoria ad haeredes; in qua sententia habemus consentientes, Wesenb. in *Parat. Digest. Lib. XVI. tit. 1. §. 4.* Bertoch. in *prompt. iur. Carpz. edit. pag. 286.* et multos alios. Est quidem quod potest obiici, hoc Sctum ob infirmitatem atque imbecillitatem mulierum captionibus vt plurimis suppositam, esse introductum, atque inde in eius constitutione solius personae rationem esse habitam: nam in *l. 68. π. de R. I.* Paulus etiam: *in omnibus, scribit, causis id obseruatur, vt, vbi personae conditio locum facit beneficio, ibi, deficiente ea, beneficium quoque deficiat.* Verum tamen ex hoc nondum efficitur, vt auxilium Scti Velleiani personalibus adnumeremus. Quanquam enim causa efficiens hu-

ius

ius S^Cti omnino posita sit in mulierum infirmitate, non tamen exinde potest concludi, illud esse priuilegium personale. Vt enim taceam, multos iuris auctores tertiam beneficiorum speciem, quae personalia origine, effectu realia sunt, facere, ad quam priuilegium Velleianum referetur: vt omittam, id Pauli dictum, ex libro eius de dotis repetitione desumptum, proprie tantum, monente Raeuardo ad hanc legem, ad hanc pertinere dotis causam, quod posterius suo modo vetat *l. 196. eod. tit.* eandem continens regulam, palam tamen est, publicae vtilitati voluisse consulere senatores romanos, et ipsius negotii odium effecisse, vt hoc priuilegium sexui daretur. *Totam enim obligationem*, teste Iuliano in *l. 16. π. ad S^Ct. Vell. senatus improbat.* Quod satis demonstrat, priuilegium non tam personae, quam potius rei datum esse. Neque hoc mirum videri poterit ei, qui considerat, huius generis beneficia multa inueniri. Veluti potest haeres ex antecessoris persona beneficium restitutionis in integrum petere *l. 18. §. 5. π. de minor.* vt proinde Pauli regula a plerisque ita limitetur, vt, si priuilegium non solum personae fauore est introductum, sed vltra personam aliud in considerationem veniat, exulet, vid. Günzel *ad h. l. 63.* Quae cum ita sint, non opus est, vt dissidium cum Lauterbachio in *Coll. Pand. L. XVI. t. 1. §. 1.* ita componamus, vt priuilegium quidem sit personale, exceptio autem inde competens realis, quod eum iuris analogia non bene videtur conuenire.

§. IV.

Quibus foeminis competat hoc S^Cti Vell. auxilium.

Exceptione sua vero nullam regulam esse immunem, quis est, qui nesciat? inde quoque non qualibet mulier hoc S^Cto vti potest; reperiuntur potius nonnullae, quae hoc pri-



uilegio, si intercesserint nequaquam se tueri possunt, sed sua tenentur intercessione. Huc igitur referuntur: I. *Foeminae illustres* secundum Struv. in *synt. Iur. Exerc. XXI. th. 12.* Carpz. in *def. for. Part. 2. Const. 25. def. 9.* Berger in *oec. iur. Lib. III. tit. 3. th. 8. not. 4.* Bertoeh. *propt. iur. p. 286.* Hering *de fideiuss. c. 7. n. 517.* Intelliguntur scilicet mulieres, quae territorii ipsi praesunt. Nam quae huius exceptionis ratio praetenditur, istae mulieres in summa dignitate constitutae, utuntur consiliariis, quos in causis istis et arduis quibusuis aliis consulere possunt ut exulet imprudentia atque iuris ignorantia, quae in aliis, consiliariis desitutis mulieribus occurrit. Obiici quidem potest *l. 1. π. ad Sct. Vell.* at enim vero, quis non mutatos mores in hac causa considerabit, et, Pauli scriptum cum hodiernis non conuenire in praepatulo esse, credet. Nam hodie foeminas ad officium ciuile, scilicet iurisdictionis, iure nostro hodierno, quin canonico per *c. 4. x. de arbitris*, in quo Pontifex approbat consuetudinem in hac causa gallicam, omnino aptas iudicari, quis est, qui nesciat. Quamobrem, cum hoc aliter se habuerit iure romano, cuius ex dispositione mulieres excluderentur a iure standi in comitiis, nec exercere poterant iurisdictionem, ad nostra tempora lex supra aducta non potest hodie, ne ad mulieres omnes quidem, quae ciues sunt, nedum ad illustres, quae praesunt territorii, et maiestate eadem, qua Imperatores olim Romani, gaudent, applicari, ut potius cessante legis ratione, ipsa lex cesset. Ex quo simul corruunt, quae ex alio loco Pandectarum desumenda essent, omnibus scilicet foeminis subueniri per Sctum, *l. 2. pr. dist. tit.* si quis, ita ne illustres quidem exceptas esse, existimare velit. Verum cum haec, quae scripti de hodiernis moribus, quibus foeminae ab officii ciuilibus non plane remouentur, etiam suo modo ad istas pertineant, quae nulla maiestate, sed tantum iurisdictione gaudent,

in

in his etiam cessare SCTi beneficium, dicendum esset. At enim vero, quantumvis hoc optimo iure possit asseri, omnes tamen ICTi eo, quo dixi, modo hanc circumferunt exceptionem, cuius alia quoque haec potest esse ratio, quod princeps, siue mas siue foemina legibus sit solutus, et, quamuis digna vox sit maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri, *l. 4. C. de legib.* hoc tamen tunc locum habere non videtur, si ex hac professione damnum ciuibus metuendum sit. Deinde excipiuntur, II. *Foeminae mercatrices*, dummodo mercaturam ipsae exerceant. Bertoeh. *prompt. iur. p. 285. Berg. in oec. iur. Lib. III. tit. 3. th. 8. n. 4.* quam doctorum sententiam *Mand. El. Sax. d. a. 1722. d. 18. Nou.* confirmatam habemus. Verum hoc pertinet tantummodo ad mercaturae negotia. Quamobrem, quatenus vel emunt, quae ad familiae sustentationem sunt necessaria, vel vendunt, quae acquisita superflua sunt, et hoc modo curam tantum rei domesticae gerunt, eatenus tutae quoque sunt SCTo hoc, si forte in his causis aliqua facta sit intercessio, cum id non mercaturae causa, sed ob curam rei domesticae et, cum uxores sint, iure societatis domesticae, quae semper est inter coniuges *l. 1. pr. π. rer. anot.* agant: e contrario, si quae mercaturam faciunt, in causis ad mercaturam pertinentibus intercedunt, eam ob rationem huius SCTi exceptione sese tueri nequeunt, quoniam merito arbitramur, in iis exulare imprudentiam, et muliebrem imbecillitatem, quae talem negotiationem subie-runt. Qualis eadem est ratio in cambiis, siquidem litteris cambialibus, mercatrices mercaturam exercentes, in causis ad eam spectantibus, valide sese possunt obligare. *Ord. Proc. Sax. Rec. in Append. § 11. Carpz. in def. for. Part. II. Const. XV. def. 16. n. 5. 6. Meu. ad ius Lubec, part. III. tit. 8. Hein. El. iur. camb. cap. V. §. 6.* Et haec quidem quae de his foeminis dicuntur, adeo obtinent, vt si mercatrix sit vxor,
 si fo-



si focia mariti mercatoris sit, perinde teneatur ex fide iussione in rebus ad mercaturam spectantibus, ac si sola aut separatim eam exerceat. Gail. in *obs. L. II. obs. 90.* Et ratio quidem, qua arcetur a S^Cti beneficio mercatrix, non in eo solum, quod mercatura negotium sit virile, sed imprimis consistit in mercaturae natura, quae id pro sua securitate postulare videtur, ut ei, quemadmodum scribit Meuius, operam nauantes, fidem limitare non possint. His ex iure nouissimo saxonico III. addendae sunt tutrices et curatrices, quae in causis ad tutelam vel curam pertinentibus ex sua intercessione aliisque factis plane ita tenentur, ut nullum auxilium iis ex S^Cto Vell. sit. *Ord. tut. Sax. Cap. VI. §. ult.*

§. V.

An exceptio S^Cti Vell. etiam contra foeminas locum habeat.

Foeminis igitur succurri, si intercesserint, exceptione S^Cti Vell. ex iam scriptis patet, sed hoc loco non inutilis videtur quaestio: an quoque contra foeminas detur ista exceptio? Hoc autem ita intelligo, ut creditor sit foemina, quae, agens ex fideiussione contra aliam foeminam, exceptione repellatur. Nam si pro foemina debitrice alia intercessit mulier, res dubio non caret, quandoquidem, si euoluamus *l. 1. pr. π. ad S^Ctum Vellei.* manifestum est, non distingui debitorum personas. Siue igitur, pro quo intercessio facta est, mas sit, siue foemina, perinde habebitur. Sed ex hoc ipso tamen etiam possumus concludere, foeminam pro alio intercedentem aduersus foeminam creditricem, quoque hac exceptione sese posse defendere, eamque ob causam supra propositam quaestionem affirmabimus, scriptum enim legimus in lege generatim, *ne pro ullo foemina intercederet:* quibus ICtus demonstrat, non

non respici ad creditorem, sed ad mulierem quocunque modo intercedentem. Sed potest obiici aequae esse privilegiam foeminam creditricem. At privilegiatus contra aequae privilegiam privilegio suo non vitur. Scilicet, ubi utriusque par est conditio. Sed quis nescit exceptionem a doctoribus omnibus additam: nisi alter de lucro captando, alter de damno vitando certet. Iam, quae fideiussit, utique de damno certat vitando, si actione conveniatur a creditrice. Et egregie praeterea affirmans sententia confirmatur ex *l. 5. C. ad SCt. Vell.* verbis: *sciente creditrice*. Docent haec verba, huic rescripto speciem suppositam fuisse, qua maritus debitor, vxor intercedens, alia foemina creditrix fuit. Iam Imperator rescribit vxori, quae intercesserat, auxilio SCti uti posse, quae aperte probant, ex SCti sententia nullum inter creditores esse discrimen. Quod tamen modo quoad regulam observandum est, nam in eo quoque reperiri exceptiones, inferius dicendi locus erit.

§. VI.

De muliere in intercessione correa.

Quod si foeminae intercessio iure valida non est, sequitur, ut principalis tamen duret obligatio aut restituatur. Merito autem quaeritur, si mulier non sola, sed cum mare quodam, simul fideiusserit, num confideiussor solus teneatur ex fideiussione utriusque in solidum. Ad hanc quaestionem omnino respondendum est, foeminam confideiubentem non teneri, sed tantum confideiussorem, eumque in solidum, quod manifesto probatur ex *l. 48. ff. pr. de fideiuss.* Obstat quidem videtur *l. 8. C. ad SCt. Vell.* ex quo non obscure intelligitur, filios, qui in specie proposita pro patre simul cum sororibus intercesserant, ex hoc rescripto in solidum non potuisse conveniri. Verum in exemplo proposito res ipsa docet, filios,
C
subdu-



subductis fororibus, pro parte solum habitos fuisse reos propterea, quia tantum pro virilibus portionibus se obligauerant, quod etiam ex his eius legis probatur verbis: *in id, quod se obligarunt*. Nam si actus stipulationis non fuisset continuus, aut in scriptura de obligatione in solidum nihil adiectum erat, diuisam fuisse obligationem etiam ante ius Nouellarum, constat ex *pr. I. de duobus reis l. 6. §. 3. et l. II. §. 2. π. eod.* Magis adhuc sententiae propositae obesse videtur *l. 18. π. ad Sci. Vell.* in qua scribitur, mulierem, cum correa cum Titio intercesserit pro alicuius debitore, teneri pro parte. Verum tamen, cum ista lex cum *l. 17. eod.* coniuncta sit, ex ea etiam ut explicationem accipiat, necesse est. Iam agitur in *l. 17.* de ea causa, si mulier cum masculo in communem rem siue utilitatem contraxit. Quamobrem *l. 18.* etiam aliter quam de re aut utilitate communi explicari non debet. Brunnem. *in comment. ad Pand. h. l. Lauterb. in coll. Pand. L. XVI. tit. I. §. 18.* Berg. *in resol. leg. obst. eod. tit. qu. I.* Bertoch. *in prompt. iur. n. 4. p. 283.* Foemina vero suum gerens negotium cum valide obligetur, etiam per fideiussionem *l. 3. 5. 6. et aliae passim π. ad Sci. Vell.* bene intelligitur, cur in fideiussione communis negotii causa facta pro parte conueniri possit. Quae cum ita sint, illa *l. 18.* non de quouis tertii cuiusdam hominis debitore, sed de eo tantum intelligenda est, quocum antea negotium fuit fideiubentibus. In verbis antecedentibus scilicet *l. 17.* ea species proponitur, mutuatos esse Titium et mulierem pecuniam ab aliquo in rem communem. Fac, hunc creditorem, a quo mutuati sunt, cui nomen Sempronii dabimus, esse Caii debitorem, Caium autem suum a Sempronio, cui fidem amplius non habet, repetere, et hunc, cum soluere non possit aliter vel nolit, suum quoque repetere a Titio et muliere, hos tandem, quia Sempronio statim quoque soluere nequeunt, pro hoc Sempronio intercede-

re apud Caium, vt cum Caius Sempronio dilationem concedat solutionis, tum ipsi a Sempronii petitione sint tuti: intercessio mulieris pro Sempronio, vt debitori Caii, valida erit, siquidem non nouum debitum a muliere contrahitur, neque in fauorem tertii ea proprie, sed in suam rem intercedit, et persona tantum creditoris certo respectu mutatur. Sed ad propositae quaestionis affirmantem decisionem hoc quoque moneo, illam de sola accipiendam fideiussione, non autem de expromissione. Etenim masculus et foemina si simul pro alio *expromiserint*, mulier quidem etiam non obligatur, at pars, quae in eius comprehenditur expromissione, a mare cum ea fideiubente, in hac causa in solidum non obligato, peti nequit, sed creditor pro hac parte agere debet aduersus priorem debitorem, qui per expromissionem, si foemina non esset, quae intercessit, foret liberatus. Quod quidem argumentum ducitur ex *l. 8. C. de Sct. Velleian. Zoelius ad π. tit. eod. n. 8.* Quod si vero vxor simul cum marito in vno instrumento se constituit corream debendi, cum per Auth. si qua mulier, maiora sint vxorum, quam coeterarum mulierum, iura, non immerito quaeritur, vtrum ista pro parte, aut solus maritus teneatur. Hanc ad quaestionem Berger in *Oec. iur. lib. III. tit. III. th. 8. n. 5.* latius respondet. Scilicet, hic quoque subducendam esse vxorem, nisi, in eius vtilitatem versam esse pecuniam, manifesto probari possit, dubitare ob verba Authenticae non debemus. Nam ne tunc quidem, si sola instrumentum subscripserit, aut in eo principalis debetrix nominetur, si in hoc negotio palliata sit pro marito fideiussio, contractus valet. Et de hoc quidem videri etiam poterit Bastinelleri *diff. de negotiis, quae a muliere sine curatore in Saxonia expediri possunt, th. XXVI.* Alias, si mulier soluta cum mare, vel vxor cum extraneo simul in se recipiant obligationem, foemina omnino pro parte tenetur, neque locus est Scto. *l. 17. §. fin.*



fn. π. ad Sct. Vell. Meu. in Dec. P. VI. dec. 297. Huber *in pract. ad π. in tit. ad Sct. Vell. §. 4.* Quin sunt etiam casus, in quibus vel vxor correa, si simul cum marito fideiussit, pro parte tenetur, ad quos referuntur: 1) Si probetur, in utilitatem vxoris pecuniam esse versam, quod nonnunquam praesumitur, si eam ipsa acceperit, vid. Hömmelii *Rhaps. Supplem. DCXXIII.* Gothofred. *in Not. ad Pand. ad diā. Auth.* 2) Si sit vxor mercatoris Gail. *in obseru. Lib. II. obs. 90. n. 5.* 3) Si statuto aut consuetudine aliud sit introductum, Gail. *loc. cit. n. 1.* vel potius, si in quibusdam locis ius Romanum hac in causa plane non sit receptum, Stryck. *in usu mod. Pand. Lib. XVI. tit. 1. §. 2.* 4) In his locis, vbi communio bonorum inter coniuges est. Stryck. *loc. cit. §. 4.* 5) Si ad communem familiae sustentationem acceperit, vti supra ex *l. 17. π. ad Sct. Vell.* demonstratum dedi, vid. Berlich. *in concl. pract. P. II. concl. IX. n. 82.* 6) Si vxor luxu aut vestitu dilapidauit ea, propter quae interuenit, Berlich. *eod. loc. n. 73.* 7) Si vxor haeres mariti existat. Meu. *in decis. P. VII. dec. 230.* 8) Si vxor animo donandi interueniat: arg. *l. 4. §. 1. π. ad Sct. Vell.* 9) Si intercessionem iureiurando confirmet, per *cap. 9. X. de iureiur.* Immo ex his sunt nonnulla, quae si negotium gestum ista postulet, efficiunt, vt vxor non pro parte tantum, sed in solidum etiam teneatur.

§. VII.

Vtrum Sctum Velleianum omnem obligationem, an actionem tantum creditoris tollat.

Iam ad hanc quoque quaestionem deueniamus, vtrum exceptio Scti Velleiani tantum actionem, an ipsam obligationem penitus tollat. Scripsit autem Iulianus in *l. 16. π. ad Sct. Vell. totam obligationem senatus improbat.* His verbis

bis perspicue docemur, non actionem tantum tolli per Senatus consultum. Actionem praeterea si solam tolleret, mulier, quae ex fideiussione iam aliquid soluisset, non haberet conditionem indebiti. At enim vero, mulieres ex intercessione soluentes, omnino gaudent iure, solutum condicendi, *l. 40. pr. π. de Cond. indeb. l. 8. §. 3. π. et l. 9. C. ad Sct. Vell.* ex quo proinde necessario sequitur, Scto ipsam perire obligationem. Eius autem rei rationem eleganter reddit in d. l. 40. Marcianus, exceptionem Scti Velleiani dari eius causa, cum quo agitur, in quo ipso distet ab exceptione ex Scto Macedoniano, quae daretur in odium agentis, quam ob causam ei, qui soluisset, condictio indebiti ob Macedonianum Sctum non competeret. Eandem effectus vtriusque Scti differentiae rationem praebet Ulpianus *l. 9. §. pen. π. de Scto Maced.* sed et aliam suppeditat hic Ictus eodem loco. Nam ne ipsi quidem filiofamilias mutuanti, si soluerit, indebiti conceditur condictio. Neque tamen fideiussori potest pinguius, quam ipse debitor principalis habet, ius tribui. Fallor, aut tertia praeter eas discriminis causa est. Is, qui pro filiofamilias mutuo fidem interponit, ut ob contractus indolem uti exceptione Scti Macedoniani possit, ut mas sit, necesse est. Foemina enim pro hoc intercedens mutuo, adiumenti ex Macedoniano Scto haud indiget, tuta iam satis Velleiano. Quemadmodum autem mulieribus ob sexus imbecillitatem succurritur, ita quoque, si iura ignorent, excusantur. Hanc ob causam, si mulier ex sua fideiussione, nesciens, eam ratam non esse, soluerit, hoc contra ius, quod ignorabat, fecit, et ex hoc ignorantiae privilegio condictio permitti poterat indebiti. Vir autem, qui intercessit pro filio mutuante, ignorare ius non debet. Cum igitur soluerit contra ius, ipsi ex praesumptione non incognitum, ignorantiam, ut condicere queat solutum, non potest praetendere. Quae cum ita sint, ut mulier



solutum repetere possit, num poterit etiam condicere chirographum, si quod super fideiussione dedit creditori. Equidem puto, non ambigendum esse, quin hoc quoque conditione sine causa queat condicere. Fideiussio enim mulieris non iusta vel nulla obligandi causa fuit, et chirographum datum negotium quidem, sed illicitum, probat, quamobrem, cum sine causa iusta, quod perinde est, ac sine vlla causa, sit penes creditorem, condici secundum *l. 1. §. 3. π. de cond. sine causa* poterit. Sed vindicare etiam mulier potest, quae intercedendi causa alienavit aut oppignoravit, *l. ult. §. 1. 2. π. ad Sct. Vell.* ex quo multo magis, omnem tolli obligationem, apparet.

§. VIII.

Vtrum Sctum Velleianum obligationem ipso iure tollat, an ope tantum exceptionis.

Quaeritur etiam apud ICtos, exceptio Scti Velleiani iurisne sit, nec ne. Iustinianus quidem hoc decidit in *l. 23. §. 2. C. ad Sct. Vellei.* vt, si fideiusserit mulier sine instrumento publice confecto, nulla fit prorsus obligatio, neque auxilium e Scto petendum, ad quod igitur tunc demum fugiendum sit, si in instrumento publice confecto mulieris scripta sit intercessio. Ex quibus ipsis hoc ducendum est argumentum, ante hanc legem non ipso iure nullam fuisse mulieris obligationem, vt potius exceptio Scti Vell. semper ab ea, cum creditor ageret, fuerit obiicienda. Patet, vt multi contendunt, hoc etiam ex eo ipso, quod, mulieribus quod tribuitur ea lege praecipuum, beneficium, auxilium nominetur, quo opus non est in his legibus, quae ipsum actum contrarium rescindunt. Prouocatur etiam ad *l. 7. 16. et 23. π. et l. 9. C. ad Sct. Vell.* in quibus tamen non satis praesidii, quo haec

haec defendantur, puto inueniri. Nam lex etiam 23. quae videtur ex his omnium maxime perspicua, de singulari quadam agit specie. Cum tamen hodie, scire, vtrum actio summo et stricto iure detur, quae tamen exceptione remoueat, an nulla plane competat actio, aut nihil aut parum certe utilitatis in se habeat, his diutius non immoror, quae persecutus latius est Lauterb. *in Coll. Pand. L. XVI. tit. 1. §. 14.* et Boehmer. *in disp. de efficaci mulier. intercess.* §. 6. et ex ipsis verbis SCTi: *recte atque ordine facturos, ad quos de ea re in iure aditum erit, si dederint operam, ut in ea re senatus voluntas seruetur;* demonstrare conatus est Noodt. *in comment. ad tit. ad SCT. Vell. fere in medio.*

§. IX.

An foemina habeat SCTi Velleiani exceptionem, si intercessionem dissimulans, principaliter se obligauit, creditore tamen sciente.

Aliam quaestionem nobis obuiam sese dare, perspicimus, nimirum, an foemina, intercessionem dissimulans, principaliter si se obligauerit, et quidem sciente creditore, exceptione SCTi Velleiani se queat tueri, nec ne? Foeminis deceptis exceptione ista SCTi Velleiani succurri admonemur ab Vlpiano l. 2. §. 3. 7. *ad SCT. Vell.* quarum idcirco ex numero, deceptas exclusae esse intelliguntur. Quam ob causam forsitan, quaestionis commotae negandae magis quam affirmandae satis esse fundamenti, non immerito coniceretur, quoniam mulier intercessionem dissimulans, in dolo versari, videtur. Verum vbi ad vltiorem iudicii limam eam vocabimus, aliter rem esse decidendam, credendum est. Ponamus, Sempronium egere pecunia, eumque, cum non inueniret faciles creditores, persuadere Titiae, vt suo nomine eam, qua indiget,

sum-



summam, a Caio sumat mutuo; Titiam autem, his rogationibus amicitiae causa locum dantem, petere a Caio mutuo hanc pecuniam, et simul enarrare, se velle eandem dare, qui eius indigeat, sed ab his, quos rogasset, tulisset repulsam, Sempronio, Caiumque, qui nullam fidem Sempronio habuisset, Titiae pecuniam, quam postulauerat, mutuo dare. Iam quaeritur, an Titia, postea a Caio conuenta, sese queat tueri exceptione SCTi Velleiani. Certe, si rationes vterius excutiamus, haud difficile reperiemus, mulierem neutiquam decepisse, sed multo potius creditorem a se ipso fuisse eam ob causam deceptum, quoniam sciuit, mulierem dissimulasse intercessionem. Scilicet, perditam esse pecuniam, opinatus est, si crederet Sempronio, securiorem autem, qui est intercessionis accipiendae finis, se putauit, Titiam pro debitore accipiens. Et hoc quidem plane probari atque dilucide demonstrari potest ex *l. 11. C. de distr. pign.* Huius ex verbis apparet, mulierem intercessionem dissimulantem aduersus scientem creditorem omnino SCTi Velleiani exceptione sese posse tueri, et contraria species, quae enarratur in verbis: *creditoris ignorantiam circumscripsit*; tanto magis legis praescriptionem confirmat, siquidem, vbi circumscriptio non est, mulier non potest dici creditorem ignorantem fraudatam esse, et, secundum dictum commune, scienti non fit iniuria. Quibus omnibus accedit *l. 12. π. ad SCT. Vell.* vbi a regula, qua foeminae in dolo versanti haud subuenitur, hoc excipitur: *si creditor scierit.* Quamobrem creditor, quamuis alias, si nesciret, in quos usus mulier pecuniam sit acceptura, contra eam SCTum Velleianum obicientem inuatur replicatione doli opposita, *l. 6. π. et l. 18. C. ad SCT. Vell.* ea tamen non vtetur, si istud scierit, cum, vtroque culpae aequalis reo, subuenitur magis reo, quam actori, de quo videatur *l. 29. π. ad SCT. Vell.* Indubitati enim est iuris, mulierem tunc tantum, si suo nomine

mine pecuniam mutuo et ita quidem acceperit, ut eam in rem suam conuertat, exceptione S^Cti Velleiani sese tueri non posse, cum hoc duntaxat casu ipsa debitor tenetur, si non expromisit vel intercessit, *l. 27. π. et l. 2. C. ad S^Ct. Vell.* Lauterbach. in *coll. Pand. eod. tit. §. 12.* Sunt tamen nonnulla, quae huic assertioni habentur contraria. Ac primo quidem obuertitur *l. 5. C. ad S^Ct. Vell.* Sed hac in lege duo separandi sunt casus: alter, si vxor intercessit sciente creditore, alter, si dissimulauit intercessionem. In illo quidem casu, creditor cum sciret, quid actum sit, locum habet exceptio S^Cti Velleiani. Et hoc probant verba, quae in d. l. antecedunt: *si consensisti obligationi, sciente creditrice, auxilio S^Cti uti potes.* In hoc vero, cum a legislatore non additum sit, scivisse creditorem, potius credendum est, intelligi, creditorem ignorasse, et marito mentienti credidisse, quo facto deceptus est, ut S^Cti Velleiani exceptio cesset. Alterum, quod obiicitur, hoc est: mulieri deceptae, non decipienti, succurrendum esse, *l. 2. §. 2. π. ad S^Ct. Vell.* Cum tamen hoc ponamus, creditorem scire, mulierem non in suos usus contrahere, affirmari non potest, decipi creditorem, qui scit, quid agitur, eaque propter nullam patitur iniuriam. Quamobrem, etiamsi non bene asseramus, dissimulantem esse deceptam, tamen non incommode, si nesciebat sibi auxilium esse ex S^Cto Velleiano, dicemus, ipsa hac sua ignorantia et imprudentia mulierem esse deceptam. Nam hoc ipsum, quod, quasi in suum usum mutuo sumpta pecunia, subuenire vult ei, cui est redditura, ex imbecillitate est sexus, quae cum causa sit S^Cti, non potest non ad istam quoque accommodari speciem. Quamobrem creditor, qui magis debebat ad negotium gerendum attendere, cum foemina opponit exceptionem S^Cti, merito non poterit de dolo replicare, qui ipse dolo fecisse videtur. Tertium quod ob stare videtur, deriuatur ex *l. 13. C. ad S^Ct. Vell.*



Vell. Haec autem lex, paulo quidem obscurior, plane non de aliqua intercessione mulieris agere videtur, sed de eiusmodi negotio, quo Condiana, cui rescriptum erat, ipsa contraxerat, et propterea principaliter et sola erat obligata, hoc autem animo apud se constituerat, ut marito vel integram mutuo acceptam pecuniam, vel partem eius donaret, aut aliquid emeret, quod marito deinde daret, aut alio quocunque modo, quo ea uti posset maritus, faceret pecunia, hoc suo consilio creditori, cum mutuaretur, non occultato. Quod si statuamus, quemadmodum statui merito potest, Brunn. in *comm. ad Cod. ad hanc leg.* principaliter contraxisse creditorem cum Condiana, non potuit scientia, marito esse daturam pecuniam Condianam, ipsi nocere. *l. 10. C. eod.* Et, quamvis non ignorauerit, ne ullam quidem utilitatem ad uxorem ex foenebri pecunia redundaturam, forte, quod dono illi eam daret, tamen securus creditor a Scto fuit, quod non pertinere ad eum casum, quando mulier datum ipsi alii donare vult, satis certum est; quo collineat *l. 4. π. ad Sct.*

Vell. Aliud ergo est, cum mulier accipit mutuum, ut alii, qui creditores facile non inuenit, iterum mutuo daret, quo facto auxilio legis gaudet, et locum inuenit Sctum, dummodo negotium non sit dissimulatum, *l. 12. iuncta l. 11. et l. 4. C. ad Sct.*

Vell. aliud, cum ita, ut in rem mariti vertat, eique donet, nec ut repetat, acceperit. Nam, addissimulationem in hac causa respici, docent verba legis 13. C. priora, cum rescriptum est: *iuxta fidem veri a creditore tibi data est.* Non autem dissimulasse dicenda est, quae aperte confessi est, se alii esse donaturam. Cum autem talis non sit exceptio, ex supra adductis prono fuit alueo, foeminae dari exceptionem Scti *Vell.* si intercessionem dissimulans principaliter se obligauit, creditor autem hoc scierit. Bertoch. in *prompt. iur. p. 285. n. 8.* Rechenb. in *Reg. iur. prin. Lib. III. tit. XIX.*

§. 3. Nam quod imprimis de l. 13. C. supra laudata dicendum est, quae maxime omnium huic aduersari videtur sententiae, imperatorum rescripta, ad singulares casus, quorum historiam nescimus, suppressis, quos petentes obtulerant, libellis, omni, qua fieri potest cautione esse interpretandas, ne vim faciamus legibus generalioribus, qualis quidem in hac causa l. 12. *π. ad SCt. Vell.* est, recte monent ICti Noodt in *Dioclet. et Maxim. cap. 2.*

§. X.

Variae sunt rationes, quae efficiunt, vt foeminae SCti Velleiani denegetur beneficium.

Mulieres intercedentes sese posse tueri SCti Velleiani exceptione, hucusque fusc commemorauimus. Sicuti vero nullam regulam sua exceptione esse immunem reperimus, ita quoque rationes, quibus obuientibus mulieres intercedentes ista exceptione non iuuentur, multae inueniuntur. Neque mirum videbitur hoc cuiquam, qui perpendit, hoc SCti auxilium mere iuris ciuilibus esse, et ex iuris naturalis principiis vix posse defendi, quibus in hunc modum inter viros distinguere atque mulieres fas non est. Bochmeri *diff. de efficaci mulierum intercess. Cap. I. §. 1.* Quamobrem, si SCtum Velleianum abrogaretur plane, vti factum est in quibusdam prouinciis et regnis, Stryck *in vsu mod. ad tit. de SCt. Vell. §. 1. seq.* non est, quod quaerantur mulieres. Verum tamen ex altera parte iniquitatis Romanos ob SCti Velleiani constitutione arguere, nefas esset. Possesse iuri naturae per ciuiles leges aliquid addi, vel postulante reipublicae utilitate, detrahi, quis est, qui negabit. Postulasse autem, qui tunc erat, reipublicae statum, vt hoc SCto obuiam irent damnis alias metuentis, supra demonstraui. In Germania non esse id necessarium,

D 2

cum



cum Schiltero in *praxi iur. rom. Exerc. XXVIII. th. 5.* et Ludewigio in *differ. iur. rom. et germ. in SCto Vell.* non negauerim.

§. XI.

Ratio I.

Si mulier intercedens versatur in dolo.

Et prima quidem, quae est a iure SCti Velleiani exceptio, consistit per *l. 2. §. 3. l. 3. l. 23. et l. 30. pr. π. et l. 18. C. ad SCt. Vell.* in eo, si mulier in dolo versatur, quo casu SCto Velleiano tuta non est, quod omnes omnino ICTi vna profitentur voce. Berger in *Oec. iur. Lib. III. tit. III. §. 8. n. 8.* Schneidewin. in *Comm. ad Instit. Lib. III. tit. XXI.* Stryck. in *usu moder. tit. ad SCt. Vell. §. 23.* Heinec. *El. Pand. P. III. §. 203.* Menck. in *syn. Pand. Lib. XVI. tit. I. §. 8.* cum aliis, qui digestorum reliquerunt compendia, vel in ea commentarios; Wefenb. in *Parat. ad tit. de SCt. Vell.* Boehmer in *disp. de effc. mul. interc. c. II. §. 3.* Rechenb. *reg. iur. priu. Lib. III. tit. XIX. §. 9.* vt reliquos taceam. Mulieris enim propter imbecillitatem istud beneficium cum sit introductum, omnis vtique dolus abesse praesumitur. Quamobrem, ob ignorantiam foeminis lege succurrente, eas mulieres excludi intelligimus, quae scientes, sese istius beneficii exceptione opposita posse tueri, intercessere, atque ita creditores decipere. Deceptis enim, non decipientibus solent subuenire leges.

§. XII.

Ratio II.

Si mulier pro intercessione pretium acceperit.

Alteram rationem, quam propter mulier intercedens se non amplius potest defendere exceptione saepius laudata, in *l. 23.*

l. 23. pr. C. ad Sct. Vell. deprehendimus. Qua ex lege luculenter patet mulierem intercedentem pro pretio indignam esse auxilio Scti, quam ob causam hanc inter reliquas enumerant exceptiones plerique, non dicam omnes Icti. Heinec. in *El. π. P. III. §. 203.* Rechenb. in *reg. iur. priu. L. III. tit. 9. §. 13.* Berger. in *oec. iur. Lib. III. tit. 3. §. 8. n. 8.* Gail. in *obs. pract. Lib. II. obs. 77. n. 13.* Schneidew. in *comm. ad Inst. Lib. III. tit. 21.* Welenb. in *Parat. Dig. Lib. XVI. tit. I.* Boehmer in *introd. in ius digest. eod. tit. §. 9.* et reliqui. Sctum enim Velleianum eum in finem constitutum est, vt laesis ex imbecillitate mulieribus subueniatur. Iam, si non ex sola mentis lenitate et benignitate, in quo quod ad hanc rem praeprimis quaerenda est imbecillitas, praeterea non gratis et solis persuasae blanditiis, intercedant, neque ex sexus imbecillitate gessisse negotium, neque, quae pretium intercessionis abstulerunt, laesae videntur. Quid? quod Wefenbec. loc. cit. acceptionem pro dolo reputat, in quo quamuis ad eius non accedam sententiam, aequum tamen censeo, vt, qui lucrum capeffit, tacite priuilegio suo renunciaffe eum, iudicemus. Recte tamen monet Boehmerus in *iure Dig. all. loc. modo proportionem quandam illud, quod datum, habeat cum fideiussionis summa.* Nisi enim hoc ita esset, facillimo negotio debitor, minimo dato mulieri dono, Sctum posset subuere. Et quamuis videatur creditor, si huius iuris conscius pretium dederit foeminae, esse in dolo, haec tamen, eum, secundum rationem adductam, nequiquam laesa esse intelligatur, pretio pro intercessione accepto, ne duplici quidem doli vtetur. Tandem in hac causa illud amplius obseruandum est, mulierem, etiam si nihil acceperit pro fideiussione, si tamen in instrumento publico, se certum aliquid accepisse, sit confessi, priuari Scti auxilio, per verba Iustiniani in *l. 23. pr. vers. sed siquidem C. ad Sct. Vell.*



§. XIII.

Ratio III.

Si in gratiam minoris intercesserit mulier.

Tertiam ob quam SC. Velleiani exceptio cessat, rationem positam esse in *l. 12. π. de minor.* animaduertimus, ex qua luculenter apparet, mulierem se non posse tueri exceptione SCTi Velleiani, si apud minorem fideiussit. Bertoch. in *prompt. iur. p. 286. n. 13.* Lauterbach. in *colleg. Pand. Lib. XVI. tit. I. §. 5.* Boehmer. in *diff. aliquoties alleg. Cap. II. §. 8.* et alii. Maior enim aetatis quam sexus habetur ratio per clara verba *l. 32. π. ad SCT. Vell.* Verum enim vero subsidiariam tantum mulieris esse obligationem in hac specie, monet in dicta *l. 12.* Caius, vt beneficium demum locum non habeat, si principalis soluendo non sit debitor, quod quidem praeter necessitatem additum fuisse videretur, nisi Caii tempore ordinis beneficium, diu post a Iustiniano introductum, nullum, quod ad regulam, fuisset. Idem Caius in *inst. L. II. tit. IX. §. 2.*

§. XIV.

Ratio IV.

Si mulier perfectae aetatis intercessionem post biennium repetit.

Quarta ratio, qua obuiente mulier intercedens sexus beneficio se tueri nequit, comprehenditur in *l. 22. C. ad SCT. Vell.* vbi Imp. Iustinianus mulieribus intercedentibus denegauit SC. Velleiani exceptionem, si, cum perfectae aetatis sint, elapso biennio intercessionem pro eadem causa iterassent. Quoniam enim propter, mulierum imbecillitatem iurisque ignorantiam datum est istud beneficium, recte existimauit

mauit Iustinianus, mulierem, si forsitan intercessisset, intra
 biennium sapius cogitare potuisset, quid egerit, et euitare
 damnum, quod exinde esset metuendum. Neque infirmitatis
 et imprudentiae, sed consilii potius et constantiae videri, si id,
 in quo obligatus nullo es modo, post biennium denuo in te
 recipias. Neque est, quod de iuris quaeratur ignorantia. Et
 enim diu multumque eam interea potuisse consulere erudi-
 tos, credendum est, qui eam de suo priuilegio edocerent.
 Berg. in occ. iur. Lib. III. Tit. III. §. 8. n. 8. Itaque
 si tamen repetit intercessionem, cum edocta, tum magis pro
 sua causa agere, ex mente Imperatoris in dicta lege 22. vide-
 tur. Nolo hic transcribere, quae de constituto ex edicto
 praetoris allegari possent. Quamuis enim haec lex Iustiniani
 cum hoc conuenire, quin immo ex eo originem duxisse, et
 ad eius similitudinem proposita videatur, tamen nequaquam
 ad illud referri potest, quod, si existimaremus, vel Vlpianus
 damnaret in l. 1. pr. τ. de pec. const. qua mulieres de constitu-
 ta quidem tenentur, sed, si non intercesserint. Quamob-
 rem hoc soli nouae Iustinianae constitutioni debetur. Cum
 tamen in l. 22. hanc exceptionem sine vlla restrictione Impe-
 rator proposuerit, num quoque vxoris pro marito post bien-
 nium iterata intercessio valeat quaeritur. Hoc autem negatur
 ex iure quod l. 22. secutum est, Nov. 134. c. 8. in qua Iustini-
 anus intercessionem vxoris pro marito iussit nullatenus vate-
 re, siue semel, siue multoties facta sit; quae verba deinceps
 etiam in Auth. si qua mulier relata sunt. Cuius discriminis
 si quaeramus rationem, facile eam in eo inueniemus, in vxori-
 bus ob potestatem mariti et blanditias, quibus continuo expo-
 sitae sunt, maiorem, quin persuasae aut coactae fuerint, esse
 metum. Non opus erat, vt adderet Iustinianus: perfectae
 aetatis. Minorem enim, cui beneficium restitutionis in
 integrum competit, non opus habere alio auxilio, dubitari



non poterat. Huic autem exceptioni contraria videtur *Nou. LXI. c. i. §. i.* secundum quam vxoris consensus in alienationem donatorum propter nuptias ratus est, post biennium repetitus. Ex ea postea *Auth. sine a me C. ad SC. Vell.* desumpta est. Haec tamen nquella LXI. praeterquam quod lex sit recentior CXXXIV. eamque ob causam, haec quidem illi, non autem illa huic derogaret, specialis etiam est, neque propterea ad omnes intercessiones, dum tamen consensus in alienationem rei pro donatione propter nuptias obligatae intercessio sit, applicari potest. Ceterum si hanc speciem intercessionibus adnumeramus, eam tanquam restitutionem exceptionis repetitae intercessionis in vxore, siquidem ei per *Nou. CXXXIV.* tanquam generalem, non est derogatum, debemus considerare.

§. XV.

Ratio V.

Si mulier pro causa pia intercessit.

Quinta ratio, ob quam mulier intercedens SC. Velleiano sese defendere nequit, deriuatur ex *l. 12. et l. ult. C. ad SC. Vell.* nimirum, si mulier pro causa pia intercesserit, isto S*ci* beneficio eam tutam non esse tradunt iuris interpretes. Sed quid est sub voce causae piae subintelligendum? Certe in legibus tantum specialia quaedam, quae alias ad pias causas referuntur, nam harum vocum significatio lubrica et incerta est, inueniuntur, quae efficiunt, vt cesset SC. Velleianum. At enim vero, iuris canonici imprimis Doctores quemadmodum, quae in vnus piae causae fauorem constituta sunt, largiter reliquis etiam tribuerunt, ita quoque Tiraquellus in libr. de *privil. piar. caus. privilegio 113.* doti datae privilegium, vt eius ratione cesset SC. Velleiani auxilium, de omnibus interpretatus est causis piis, quem deinde secuti sunt multi vel
uti

uti vt paucos nominem, Struv. in *synt. Iurispr. Exerc. XXI. th. 12.* Ludouici in *doctr. Pand. L. XVI. tit. I. §. 7.* Berg. in *oec. iur. Lib. III. tit. III. th. 8. n. 8.* quin immo ipse Hein. in *El. Pand. P. III. §. 204.* Quae nimis lata doctorum sententia cum non mereatur applausum, speciatim potius de his causis tantum agendum est, de quibus potest probari, iis, quod ad mulierum spectat intercessionem, fortius datum esse priuilegium. Et primo quidem de dote res certa est ex *l. 12. et ult. C. ad SCt. Vell.* in qua eadem videtur interuenire ratio, quam in actione negotiorum gestorum obuenire animaduertimus, quae cessat etiam, si fortasse pietatis animo negotium sit gestum, scilicet si mater post mariti obitum liberis alimenta ante aperturam testamenti et aditionem hereditatis suppeditauit, nec de his sumtibus recipiendis sit protestata, quo casu sumtus in alimentationem liberorum erogatos non potest repetere, *l. 11. C. de negot. gest.* vt non omittam, maximum dotium in iure esse fauorem. *d. l. ult. C. ad SCt. Vell.* Deinde dubio caret, mulierem, si pro libertate danda intercessit, carere SCti auxilio. *l. penult. C. ad SCt. Vell.* Nam et huius rei summus est in legibus fauor. *§. 4. l. de donat.* Haec duo vera illa sunt, quae huc pertinent. Reliqua spuria fere et a suis auctoribus ad exemplum efficta. Huc pertinet, si intercessit vxor pro pecunia, quae marito egeno data et in familiae versa est alimenta, ad quam sententiam defendendam *l. 4. §. 1. π. de alim. leg.* citatur. Neque plane reiiciendum est, quatenus vxor quodammodo in rem suam interuenit. Posset etiam de matre affirmari, quatenus ea alimenta liberis ex pietate praefat. Sed multi Doctores extendunt ad quasuis mulieres intercedentes, si hoc fiat ex causa alimentorum. Fere idem dicendum est, si mulier in his, quae studiorum causa dantur, interuenerit. Haec enim secundum plerosque comparantur cum dotium causa. Porro, si intercesserit vxor pro pecunia ad liberandum ma-



ritum carceri inclusum credita, eam non uti beneficio S^Cti, ex causa libertatis argumentum ducunt iuris interpretes. Sed hic quoque, uxorem quodam in rem propriam interuenire modo, dici commode potest. Intercessionem pro eo, quod quis ecclesiae debet, huc refert Meuius *in decis. Part. III. dec. 85.* Hae tamen omnes, et si quae aliae sunt, quas praeteriissem, in hac re ab vna ad alias pias causas legum extensiones, licet cum aliquam habeant speciem, tum suos inuenerint defensores, non tamen prorsus affirmari possunt, eandemque ob causam a multis aliis auctoribus vel plane omittuntur, vel contrariis refelluntur argumentis.

§. XVI.

RATIO VI.

Si nullum periculum rerum suarum mulieri intercedenti imminet.

Facilius est ad probandum, deficere S^Cti beneficium, si nullum damnum ex intercessione sentit mulier. Periculum enim rei familiaris per *l. 1. π. ad S^Ct. Vell.* potior S^Cti est causa, quae cum cesset ratio, cessabit etiam effectus. Quorsum imprimis referendum est, si mulier in proprium commodum vel rem suam intercedit, vel pecunia, cuius causa intercessit, in eius rem versa est. Hoc enim casu pauperior fieri nequit, ut demonstrat Callistratus *l. 21. π. ad S^Ct. Vell.* Sane non paucis continetur legibus, in rem suam intercedenti non succurri ex S^Cto, *l. 3. l. 5. l. 17. §. 2. l. 22. l. 25. §. 1. π. ad S^Ct. Vell. Nou. 134. cap. 8. et Auth. si qua mulier.* etiamsi videatur alienam suscipere obligationem. *l. 13. pr. et l. 27. §. 3. π. cod.* Ad hanc classem quoque pertinet, si mulier a debitore id, pro quo fidem interposuit, accepit, *l. 16. pr. π. ad S^Ct. Vell.* in quo, si hoc reddit creditori, apud quem interuenit,

nit, nullum patitur detrimentum. Praeter haec huiusmodi illam etiam a SCTo exceptionem iudico, cum mulier haeres debitoris, pro quo intercessit, fit, siquidem iam solvere debet id, pro quo intercessit, l. 8. §. 13. π. ad SCT. Vell. non tamen, si verum dicamus, ex fideiussione, sed tanquam haeres, succedens in omnes defuncti obligationes, quo respexisse etiam in d. l. 13. videtur Vlpianus. De his plura legenda sunt apud Boehmer. in *diff. de effc mul. interc. C. II. §. 5.* Lauterb. in *comp. digest. L. XVI. tit. I. eosque, qui in hunc sunt commentati*, et alios.

§. XVII.

Ratio VII. & VIII.

Si mulier SCTo Velleiano renunciauerit, aut fideiussionem iureiurando confirmauerit.

Postrema ratio, qua data, beneficium SC. Velleiani etiam sexti muliebri denegatur, in renuntiatione quaerenda est, ad quam statim adiungo iusiurandum, propterea quia iusiurandum intercessionem confirmans tacitam in se habet renuntiationem, siquidem ex iure Canonico, ex quo solo haec effectus SCTi circumscriptio deriuanda est, omni iureiurando, quo salua post vitam speranda felicitate potest, standum est, atque eam ob rem in his, quae promissa sunt addito iureiurando, nihil, exceptione opposita, mutandum. Quamobrem Doctores fere omnes, iureiurando confirmatis intercessionibus, denegant SCTi auxilium mulieribus, Lauterb. in *Pand. coll. L. XVI. tit. I. §. 25.* Menken. *syn. Pand. eod. tit. th. 8.* vt, hoc praestito, expressa SCTi renuntiatione opus non sit. Struv. *synt. Iur. Exerc. XXI. th. 10.* Boehmer. in *disp. de effc. mul. intercess. Cap. II. §. 14.* add. Gail. in *obseru. pract. Lib. II. obs. 27. n. 23.* Meu. in *decis. P. I. dec. 147.*



n. 4. Quod autem pertinet ad expressam renunciationem, ex l. vlt. §. penult. π. et l. 21. C. ad SC. Vell. a plerisque traditur auctoribus, eam efficere, vt mulier SCTi priuilegio vti nequeat. Lauterb. d. l. th. 24. Menken. et Struv. loc. laud. Boehm. cit. disp. Cap. I. §. 6. not. 2. et cap. II. §. 15. vt reliquos omittam. Sunt tamen non recentiores solum, sed veteres etiam bene multi, qui, renuntiationi SCTi locum dare ius Romanum, prorsus negant, et moribus tantum vim renuntiationis esse introductam contendunt, velut post Wesenbecium, Connanum, Fabrum, Bachouium, Berlichium, Vinnium, Meuium, quin ipsum Carpzouium et alios, Aueranius in interpr. iur. ciu. L. II. cap. 5. Ludewig. in differ. iur. Rom. et Germ. in SCT. Vell. P. II. diff. II. p. 25. Cuius negantis sententiae quaenam subducantur rationes, latissime exposuit Engelbrecht in diff. de renunc. SCT. Vell. Cap. II. §. 2. 3. 4. 5. Res omnis fere eo redit, vt definiamus, SCTum Vellejanum sine lex prohibens, nec ne. Verum his describendis eo lubentius supersedemus, quo certius est, omnes consentire, moribus esse aliter receptum. Sunt tamen illi mores non noui, sed iam Graecorum post tempora Iustiniani, teste Harmenopulo in prompt. iur. Lib. III. tit. 6. quibuscum forsitan in Italiam migrarunt, et ex hac in Germaniam, nisi malis, Germanos, ignaros fidei fallendae, aegre recepisse SCTum, et receptionem cum moribus suis minus convenientem renuntiationis compensasse permissione. Cum vero de hac acturi in spinosorem deducamur viam, siquidem de eo, an iusiurandum, quae, vt iam commemoravi, tacita est, et expressa renuntiatio coniunctae esse debeant, et praeterea, num opus sit certioratione, insinuatione iudiciali, scriptura, multa in vtramque partem disputentur, separentur etiam vxores pro maritis intercedentes a reliquis foeminis, pauca ex his delibanda sunt. Primum igitur hoc est, num ad expressam renun-

nunciationem iusiurandum accedere debeat, et vicissim intercessio iureiurando confirmata sine renunciatione beneficii ex SCTo eius allegationem efficiat inutilem. Posterius affirmari a Doctoribus, supra iam enarraui. Praesumitur enim, neminem fore iuraturum, qui non omnia satis ponderauit, quae circumstant. Praeterea sacramenti sanctitas non finit rescindere promissa. Quamobrem, etsi nesciuerit mulier intercedens, sibi beneficium esse datum ex aliqua lege, non poterit tamen in hac ignorantia praesidium perfidiae quaerere. Et quamuis iusiurandum negotio nulli, si regulam spectes, efficaciam aliquam addat, vel aliquid detrahat, cum tamen SCTum, moribus saltem, pro lege prohibente non habeamus, nihil obstat, quominus obligatam intercedentem addito iureiurando putemus foeminam. Quod autem pertinet ad prius, fuerunt, qui sine iureiurando factam renunciationem plane rescindendam putarent, quia existimabant, SCTo plane prohiberi intercessionem, et propter hanc causam non admitti renunciationem, iusiurandum autem additum firmam hanc reddere iuris Canonici auctoritate. Eamque quaestionem recentius esse in controuersiam deductam, docet a Menckenio in *syn. Pand. loc. laud.* allegata sententia. Verum, quae ad haec referenda sunt, superius demonstratis, non opus est iureiurando, cum renunciatio facta est, in quo consentiunt fere omnes ICTi Lauterb. Mencken. Struv. Boehmer. *loc. supra laud.* Engelbrecht. *cit. disp. C. II. §. II.* Carpzou. *def. for. P. II. Const. XVI. def. 16.* et alii, quorum nonnulli in *l. 21. C. ad SCT.* *Vell. j. l. penult. C. de post.* auxilium quaerunt, quod minus esse necessarium, quis dubitabit. Sed, quamquam haec sunt verissima, tamen ad mulieres tantum solutas, vel vxores pro extraneis intercedentes pertinent. Vxor enim si pro marito intercedat, vtrumque coniungere debet, et renunciationem et iusiurandum. Huius rei causa in eo quaeritur, quod in *Auth. si qua mulier*



mulier perspicuis verbis vxorum pro maritis interuentio pro
 nulla declaretur, ex quo factum est, vt quidam ICTi, qui, re
 nunciationem SC. Velleiani etiam legibus Romanis non refraga
 ri, putauere, tamen, quod ad Authenticam, nulli renuncia
 tioni locum dent, veluti Heinec. *El. Pand. P. III. §. 206.*
 cuiusmodi prohibitio expressa, vtrum de SC. Velleiano intel
 ligi possit, quemadmodum superius indicaui, dubitatur. Ve
 rum, cum, iusiurandum negotio prohibito legibus vim ad
 dere, minus recte dicatur, rectius, moribus hanc solemnita
 tem deberi, affirmandum erit. Necessariam autem eam esse,
 docent Stryck. in *usu mod. Lib. XVI. tit. I. §. 9.* Schilter. in
prax. iur. rom. Ex. XXVIII. §. 11. Ludouici in *doctr.*
Pand. L. XVI. tit. I. §. 11. Struv. in *synt. iur. ex. XXI. th.*
II. cum aliis, quos hi laudarunt, contradicentibus tamen
aliis, qui aut solam renunciationem, veluti Lauterb. in coll.
Pand. L. XVI. tit. I. th. 24. inter vxores aliasque foemi
 nas non distinguens, et Boehmer. in *diff. all. C. III. §. 8.*
 aut solum iusiurandum, vt Struv. *all. loc.* in vxoribus etiam
 fideiubentibus rati sunt sufficere. Sed nec de eo inter Docto
 res conuenit, quale iusiurandum beneficio SCTi vim suam de
 mat, quamuis plerique consentiant, intercessionem, quae tan
 tum sub fide ac dignitate facta sit, nullam praebere securita
 tem. Stryck. *l. c. §. 13.* Engelbrecht *diff. de renunc. S. V.*
Cap. II. §. 12. Alii enim iusiurandum explicitum poseunt,
 aliis sufficit implicitum. Videantur Stryck. *l. I. §. 12.* Schil
 ter *l. c. Engelbrecht diff. de renunc. SC. Vell. Cap. II. §. 16.*
 et ab hoc *ibid. §. 13.* nominati. Lauterb. *loc. all. th. 25.* Carp
 zouius et Saxones ICTi plerique explicitum et corporale ne
 cessarium ducunt, quos, etiam vbi hoc expressa laudatione
 non contentur, ius saxonicum prouinciale cogitasse, vero est
 simile. Secundo loco videamus de explicatione beneficii ex
 SCTo et, vbi ea opus, Authentica descendens, quam certa
 tiora

tiorationem vocant, vbi iterum distinguamus necesse est, vtrum iureiurando confirmata sit intercessio, an simplex facta renunciatio. Si prius, plerique existimant, cum praestitum iusiurandum scientiam rei supponat, opus non esse, vt mulier iura sua sit edocta. Ludwig. *loc. iam laud.* Lauterb. in *comp. Pand. L. XVI. tit. 1.* et alii, quos Boehmer in *disp. de effic. mulier. int. C. III. §. 8. not. kk.* laudat, aliis, vt Schiltero in *prax. iur. rom. exerc. XXVIII. §. 9.* Ludovici in *doctr. Pand. L. XVI. tit. 1. §. 10.* Engelbr. *diff. supra cit. C. II. §. 8.* in contrariam abeuntibus partem, aliis iurium explicationem saltim ad vxores pro maritis fideiubentes restringentibus, vt Struv. *loc. cit.* Sin posterior, tantum mulierem edoctam priuilegium sibi competens cum effectu renunciare posse, ipse Lauterb. *l. laud.* et reliqui fere omnes tradunt, quod vel ipsa negotii natura necessario postulare videtur. Et tamen quidam hoc negant, saltim quod ad iudicalem renunciacionem. vid. Carpz. *def. for. P. II. const. XVI. def. 19.* Tertium, quod in controuerfiam venit, est, an renunciatio debeat in iudicio, an possit extra iudicium quoque fieri. Alii solam in iudicio factam permittunt, alii vxorum tantum extraiudicalem pro marito damnant, alii denique has etiam ad renunciandum extra iudicium admittunt. Ex istorum numero sunt Schilter in *prax. iur. Rom. Exerc. XXVIII. th. 10.* cum multis antiquioribus; ex illorum nonnulli etiam veteres; ex horum tandem Mencken in *syn. Pand. L. XVI. tit. 1. th. 8.* Boehmer. in *iure Digest. cod. tit. §. 18.* Stryck in *usu mod. eod. tit. §. 19.* Lauterb. in *coll. Pand. all. loc.* et recentiores plerique, quorum pars nequidem iuratam renunciacionem excipit. vid. Stryck in *caut. contr. S. II. cap. 6. §. 5.* Quartum, quod obuenit, dubium est, alios scripturam necessariam putare, alios non. Hoc tamen praesertim ad extraiudiciales renunciaciones pertinet. Quaeerunt enim Doctores,



num instrumentum publicum debeat, an priuatum esse possit, quo probetur facta renunciatio. Scripturam plane non necessariam credit Mencken in *syn. Pand. Lib. XVI. tit. 1. th. 8.* priuato instrumento probari eam existimant Stryck in *usu mod. Pand. Lib. XVI. tit. 1. §. 21.* Lauterb. in *coll. Pand. eod. tit. th. 24.* Berger in *resol. leg. obst. eod. tit. qu. III.* neque testibus esse opus, Boehmerus (qui tamen postea in contrariam transiit sententiam) in *disp. de effic. mul. interc. C. III. §. 8.* et, dummodo iuratum sit, Brunnemann in *comm. ad π. ad l. ult. ad SC. Vell. n. 13.* Notarium cum testibus poscunt Boehmer (de quo proxime dictum) in *introd. in ius Dig. Lib. XVI. tit. 1. §. 18.* et alii. Qui autem nullam, nisi iudicalem, renunciationem agnoscunt, hi vt soli publicae scripturae fidem habeant, necesse est. Non enim inuenio, hos admittere, vt, quae ad renunciationem pertinent, in iudicio peragantur sine scriptura, qua sententia moribus quoque, cum omnia in iudicio peracta litteris solent mandari, fuissent refragati. Hoc postremum defendi a suis auctoribus solet ex *l. 23. §. 2. C. ad SCt Vell.* quae lex a reliquis diuerso modo explicatur. vid. Berger in *res. leg. obst. L. XVI. tit. 1. qu. 3.* Stryck in *not. ad Lanterb. comp. pand. L. XVI. tit. 1.* et ipsum Lauterb. in *coll. Pand. eod. tit.*

Nondum omnis disputatio absoluta est. Etenim in eo ipso, cui renunciandum sit, non minus ac in reliquis ICti dissident. Quaritur enim, vtrum sufficiat generalis omnium beneficiorum renunciatio, an speciatim et nominatim SCto Velleiano debeat renunciari, praeterea vtrum SCti renunciatio comprehendat renunciationem Authenticae si qua mulier, an ab uxore huic nominatim sit renunciandum. Sane existimandum esset, modo explicata antea mulieri fuerint beneficia, quibus vti potest, non solum Authenticae renunciationem
etiam

etiam SCti renunciationem, et hanc illam, sed generalem quoque vtramque comprehendere, cum, facta renunciatione, rem, de qua agitur, scientem nullo velle vti beneficio, optimo iure credendum sit. Sed in tanto dissensu scriptorum tutius omnino aget, qui nulli, nisi speciali, fidem habet renunciationi. Generalem enim plerique non sufficere credunt, Gail: in *obs. pract. L. II. obs. 77. n. 8.* Berlich. in *Concl. P. II. concl. XIX. n. 39.* qui tamen magnum numerum Doctorum ibi allegat, quibus contrarium placuit, si iureiurando firmata sit intercessio, Perez in *comment. ad Cod. Lib. IV. tit. 29. n. 23.* quo loco, nominatim esse beneficio renunciantium, opinatur. Multi praeterea in vxoribus ne utilem quidem SCti renunciationem esse existimant, nisi expressis verbis Authenticae quoque sit renunciatum, quos citant Boehmer in *diff. de effc. mul. interc. C. III. §. 8. et Engelbrecht in diff. de renunc. SC. Vel. C. II. §. 17.* alii vero, quos iidem, Boehmer et Engelbrecht *cit. loc.* laudant, cum nihil noui constitutum sit in Authentica, praeterquam, quod repetita vxoris intercessio pro marito non valeat, vt vxor, SCto renuncians, speciatim Authenticae mentionem faciat, opus esse negant. Quae cum ita sint, vt tantis prematur haec de renunciatione SCti doctrina difficultatibus, consuluerunt ii Principes suis ciuibus multo melius, qui, ni maluissent ipsi SCto cum Authentica dare repudium, saltim his in ordinem cogendis de renunciatione positionibus allaborarunt, ad quos vt imprimis Seneriffimi Saxoniae Electores sunt referendi, qui rem omnem suis mandatis in *Const. XVI. P. II. Decif. 25. d. a. 1661. et 24. d. a. 1746.* certiozem reddiderunt, quas leges a Carpouio et aliis multis explicatas hic describere et vltcrius explanare non est animus. Nam erant etiam alia quaedam in hac de renunciatione materia, quae a variis ICtis vario deciduntur modo, velut: de renunciatione SCti in specie



specie ob susceptam tutelam, quae prudentissimo consilio ex nouissima constitutione in Saxonia prorsus tulit repulsam *Ord. tut. Sax. Cap. VI. §. II.* num enormiter laesa mulier beneficium S^Ci vel Authenticae possit reuocare; quomodo probanda sit iusta mulieris beneficiorum, quae sibi competunt, scientia; renunciatio, ad quam ius non accessit iurandum, vni habeat, nec ne, si moriatur mulier, non mutata voluntate, ex quibus posterius, positus prius reliquis, quae in hac quaestione necessario ponenda sunt, magis approbandum videtur; vtrum, quod ad vxores pro marito fideiubentes, aliqua sit inter dotalia et paraphernalia distinctio; quamquam lingua renunciatio fieri debeat, scilicet, an mulier necessario eloqui debeat haec latina verba: S^Crum Velleianum, Authentica si qua mulier, quod adeo mihi persuadere non possum, vt videatur potius absurdum, si quis haec serio affirmet, quod etiam de hybrida hac formula: *dem Velleianischem Rathschlusse und der Authenticae si qua mulier* (siquidem haec verba initio legis posita non facile ita vertuntur, vt sensus non turbetur) et maiori forsitan iure affirmandum censeo.

Sed cum haec omnia minoris videantur momenti esse, quam quae vberiore necessariam faciant expositionem, praeterea a duumiris laudatis, Boehmero et Engelbrechtio, ea omnia, quae de renunciatione S^Ci dicenda sunt, satis superque tractata, ne lectoribus ex nimia seripcionis mole taedium excitem, haec enarrasse sufficiat.



Wittenberg, Diss., 1783-85

ULB Halle

004 335 937




3

f
sl.







DE
SENATVS CONSVLTO VELLEIANO

SEV
DE INTERCESSIONE MVLIERV. 1783 5

DISSERTATIO

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRAESIDE
D. ERNST GOTTFRIED CHRISTIANO
K L V G E L

IVR. SAX. P. P. O. IVDICII PROVINCIALIS IN LVSA-
TIAE INFERIORIS MARCHIONATV ET FACVLTATIS IVRI-
DICAE WITTENBERGENSIS ASSESSORE ORDIN.

PRO
SVMMS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CAPESSENDIS

DIE XVI. APRILIS A. R. S. CIOCCCLXXXIII.

H. L. Q. C.

ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR ATQVE RESPONDENS
IOANNES SAMVEL STRAPHINVS
GORLICENSIS

IVRIS VTRIVSQVE CANDIDATVS ET NOT. PVBL. CAES.

WITTENBERGAE,
LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.